

Cartulaire manceau de Marmoutier, Le Bignon, Nr. 5

Ego Herveus, Maioris Monasterii humilis minister, notum fieri volo omnibus quod per communem capituli nostri assensum concessimus Gaufrido de Brolio, clerico, fratri et condonato nostro, domum nostram de Bugnone tenendam cum pertinentiis suis usque ad septem annos sub tali conditione quod ibi duas grangias et portam faciet et alias domos destructas reedificabit domumque illam ab omni debito liberam tenebit, monacho uni ibidem iuxta honestam ecclesie nostre consuetudinem necessaria providendo. Singulis autem annis pensionem unius marche in festo hyemali nobis reddet. Bonum etiam hospitalitatis nobis et claustralibus nostris exhibebit. Comparabit preterea quartam partem decime de Bugnone ad opus eiusdem domus aut vineam eidem domui contiguam si venales fuerint; sin autem X libras andegavensium infra quatuor annos mittet in emendationem domus ad consilium monachi ibi manentis et priorum vicinorum. Reditus insuper et iura eiusdem domus per negligentiam priorum alienata vel ablata revocabit. Expletis vero prescriptis VII annis monachalem habitum si voluerimus suscipiet, et domus illa cum omni melioratione quam ibi fecerit et cum omni substantia que ibidem fuerit et cum omnibus ad eam pertinentibus sine contradictione revertetur ad nos, aut si nobis placuerit, eandem domum iuxta predictae conventionis tenorem, quamdiu voluerimus, tenebit. Quod si infra prescriptum terminum dederimus ei aliquam ecclesiam vacantem ad voluntatem suam, nihilominus dimittet nobis domum illam cum omni integritate, nec valens quinque solidis subtrahet de rebus ipsius tempore quo dimissurus est illam. Hoc bona fide et sine fraude se iuravit servaturum. Actum anno incarnati Verbi M. C. LXXX. VI. in crastinum octabarum beati Martini hyemalis.